

*MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81172-4*

MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States - Title 17, United States Code - concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material.

Under certain conditions specified in the law, libraries and archives are authorized to furnish a photocopy or other reproduction. One of these specified conditions is that the photocopy or other reproduction is not to be "used for any purpose other than private study, scholarship, or research." If a user makes a request for, or later uses, a photocopy or reproduction for purposes in excess of "fair use," that user may be liable for copyright infringement.

This institution reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

SCHNEIDER, FRIEDRICH

TITLE:

DE CONSOLATIONE
CICERONIS

PLACE:

VRATISLAVIAE

DATE:

[1835]

Master Negative #

93-81172-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87CP3
DS Schneider, Friedrich, 1808-
De consolatione Ciceronis, dissertatio quam...
defendet auctor Fridericus Schneider. Vratislaviae,
typis Grassii, [1835].
32 p. 21 $\frac{1}{2}$ cm.

Thesis, Breslau, 1835.

87CE Another copy.
Z

375073

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-17-93 INITIALS JA
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AJIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910



301/587-8202



Centimeter



Inches



MANUFACTURED TO AJIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Dup.

No 4

DE
**CONSOLATIONE
CICERONIS**

DISSERTATIO

QUAM

AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORUM

AUCTORITATE

PRO

**SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS**

DIE XIX. AUGUSTI A MDCCCXXXV.

H. L. Q. C.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

FRIDERICUS SCHNEIDER.

VRATISLAVIAE

TYPIS GRASSII, BARTHII ET SOCII.

MEMORIA

DE

AL

...

...

...

...

...

AMICISSIMO

A. BUESTORFFIO

SORORIS MARITO.

B. B. B. B.
Schon-
tit.

Superiore anno quum primorum ordinum discipulis Gymnasium Regium Catholicorum, quod hac in urbe floret, frequentantibus Ciceronis Tusculanas explicaturus, qua par erat, diligentia quaererem, et quo tempore atque quo consilio disputationes illas Cicero scripsisset, et quos in iis componendis auctores secutus esset; praeter alios libros ab eo laudatos *Consolationem* quoque commemoratam ita vidi, ut hocce libro susius exposita diceret, quae in Tusculanis leviter solummodo tractandi locus esset. Hoc scriptum quum in simili atque Tusculanarum magnam partem versatum esse argumento quum ex inscriptione colligerem, tum ex locis inde in Tusculanas receptis cognoscerem; constitui mecum, ipsam *Consolationem*, si superstes esset, Ciceronis lustrare, sin vero temporum injuria periisset, quam possem accuratissimam mihi ejus cognitionem comparare.

Sed spem, qua ipsius Ciceronis opus hoc integrum ad nos pervenisse opinatus eram, quamquam facile intellexi inanem fuisse, quum, quae hodie circumfertur summi oratoris nomine *Consolatio*, eam licet copiose et eleganter scriptam ¹⁾ sive a Francisco Vianello,

1) Negant hoc Just. Lipsius Operum tom. I. p. 971. (ed. Vesel.) et Orellius in libro: *F. A. Wolfs Vorles. über die Tuscul.* p. 352. nobiscum facit Handius in libro: *Ersch und Grubers Encyklopädie.* vol. XVII. p. 231.

sive a Carolo Sigonio exeunte saeculo decimo sexto fictam esse Justo Lipsio concedere coactus essem; nihilo minus tamen consilium certam quandam mihi hujus libri imaginem informare secutus sum, nimis fortasse inserviens indoli juvenilis aetatis, quam quo difficilior res aliqua videtur, eo magis tenere solet. Quod meum consilium egregie firmatum est, ubi frustra circumspexi, qui majore quadam cum diligentia hanc in rem inquisivissent. Quam enim hujus libelli Kuehnerus nobis dedit notitiam in libro, cujus titulus est: *Ciceronis in philosophiam merita*, ea tam exigua est, nihil ut inde lucremur, quod non uni cuique Epp. ad Attic. lib. XII. 14 et 20. legenti et Tusc. IV. 29, 63. conferenti statim in mentem veniat. Quapropter, vel quaestione fortasse minus feliciter absoluta, hoc certe solatium mihi est, non acta me egisse.

Sed quum omnium minime possem eam exercendi antiquitatis studia rationem probare, qua sunt qui nihil sese latere posse temere confidentes, ubi certa desunt veritatis vestigia, in locum veri sua commentitia substituere eaque pro antiquitatis monumentis vendere non dubitent; necesse erat, ut duces eligerem, quos, ne in vitium a me modo in aliis notatum ipse inciderem, sequi possem.

Jam praeter ipsa fragmenta Consolationis, quorum maximam partem Lactantii debemus inprimis perstringendi Ciceronem ut paganum studio, haec inveni, ad quae totam meam quaestionem componendam esse cognovi.

Primum locum Tusculanae obtinent, quae ut statim post Consolationem scriptae maxime sunt respiciendae, quippe quae optime Consolationis referant imaginem. Alterum autem genus eorum, quae obser-

vanda sunt de Consolatione disputaturo, epistolae efficiunt eo tempore inprimis ad Atticum datae. Sunt vero eae non sine cautione adhibendae neque ex iis solis quidquam est de Consolatione colligendum, quum non mirum sit, Ciceronem alium se in epistolis gessisse, quas ad amicissimum virum mitteret et quem non esset cur pectoris sui arcana celaret, alium se in libro praestitisse, quem inimicis quoque nancisci liceret, et quem fortasse eo ipso consilio foras daret, ut animum simularet a multis in se neque sine causa desideratum. Sunt igitur illae epistolae nonnisi cum reliquis scriptis eo tempore vere editis comparatae respiciendae. Praeterea ad fontes, ex quibus Ciceronis Consolationem derivare licet, Plutarchi quoque Consolatio est referenda, dedicata illa Apollonio cuidam. Qui liber diligenter conferendus est, non quo Plutarchus ad Ciceronis exemplar sese composuerit, sed quod uterque est eundem Crantorem secutus. Quum tamen omnibus in rebus Plutarchum a Crantoris partibus stetisse probari nequeat, (hic enim auctor per totam descriptionem quater ²⁾ tantummodo nomine laudatur a Plutarcho) nonnisi eos locos, qui ipsum Crantoris nomen praepositum haberent, in meum usum convertendos esse putavi, alios autem non insignitos Academicum illius nomine ad Ciceronis Consolationem retrahere non sum ausus, nisi Tusculanae similes certe eorum sententias continerent. Praeter ea, quae modo memoravi, scripta, Aeschinis quoque Socratici ex dialogo, quo de morte disserens Socrates inducitur, aliquid certe me lucraturum esse speravi, neque haec me spes fefellit.

2) Conf. p. 102. D. 104. B. p. 114. C. et 115. B. — Alibi quoque, veluti p. 102. C., Crantoris verba haud nominati a Plutarcho relata esse non inepte videntur interpretes conjicere.

Sed de hac re infra videbimus de auctoribus disserentes, qui Ciceroni sint in scribenda Consolatione ob oculos versati.

Totam autem nostram quaestionem praeeunte Goerenzio, qui hunc fere ordinem tenuit in proleg. ad Cic. Opp. philos., tripartitam esse placuit, ita ut primum de tempore, quo Consolationem Cicero composuerit, deinde de fontibus, tertio demum loco de argumento ejus libri ageremus.

De tempore, quo Consolatio scripta sit.

Anno 708. U. C. Tullia, Ciceronis filia, uxor Dolabellae, ex partu decessit, incertum Romae an in Tusculano. 3) Quae quum ea fuisset indole, qua non potuit non egregie patri suo placere, non mirum est, hac calamitate Ciceronem in summum dolorem conjectum esse. Mores ejus adumbravit ipse Cicero Epp. ad Q. frat. I. 3, quam exul scripsit, hisce: *Quid? quod eodem tempore desidero filiam? qua pietate, qua modestia, quo ingenio? effigiem oris, sermonis, animi mei?*—4) Tantum autem obitus filiae Ciceroni luctum

3) Mortua sit mense Januario an Februario, ambigunt interpretes Ciceronis, quorum plurimi, in his Orellius Vol. IV. P. 2. p. 489, Februario eam vita defunctam esse statuunt; contra Graeterus, qui continuavit Wielandianam versionem Cic. epistolarum, Vol. VI. p. 32. hoc accidisse mense Januario scribit. Illam sententiam magis probabilem esse censeo, quum, quibus Tulliae mors respicitur epistolis, eae non scriptae sint ante mensem Martium. Caeterum totam temporis rationem mire confundit Seneca Cons. ad Marc. c. XXII.

4) Epp. ad Att. XI. 17. *ex ipsius (Tulliae) virtute, humanitate, pietate non modo eam voluptatem non cepi, quam capere*

attulit, ut in solitudinem se reciperet silvamque peteret, id quod ipse testatur Epp. ad Att. XII. 15. scribens: *In hac solitudine careo omnium colloquio; quumque mane me in silvam abstrusi densam et asperam, non exeo inde ante vesperum. Secundum te nihil est mihi amicus solitudine. In ea mihi omnis sermo est cum litteris. Eum tamen interpellat fletus: cui repugno, quoad possum. Sed adhuc pares non sumus.* Conf. ejusdem libri epp. 18. 20.

Amici, ut Ciceronem consolarentur, multi ad eum miserunt epistolas, ut a Caesare se accepisse consolatorias litteras scribit ad Att. XIII. 20. et ad Div. V. 13. Luceji commemoratur epistola. Neque defuit Bruti auxilium, cujus litteras et amice et prudenter scriptas multas sibi tamen lacrimas attulisse Attico fatetur XII. 13. Omnium autem optima consolatio nescio an habenda sit, quae continetur Sulpicii epistola, scripta illa mense Aprili, Epp. ad Div. IV. 5. Sed ut fuerunt, qui Ciceronem summo luctu perculsum erigere vellent, 5) ita reperti sunt mali obtrectatores Ciceronem criminantes non tam Tulliae, quam reipublicae caussa mæstum esse, scilicet ut Caesaris in eum odium excitarent. 6) Eo igitur tempore, quo Ciceronem putabant omnem animi firmitatem amisisse, ipse et omnia legit, quae essent de maerore minuendo ab aliis scripta, et luctum ut mitigaret librum *Consolationis* seu *de luctu*

ex singulari filia debui; sed etiam incredibili sum dolore affectus, tale ingenium in tam misera fortuna versari, idque accidere nullo ipsius delicto, summa culpa mea.

5) Conf. Epp. ad Att. XII. 20. 33. 40.

6) Conf. Epp. ad Div. IX. 11. qua gratias agit Dolabellae, quod sua caussa praelia sustineat; (adversus eos, qui Schuetzio interprete Ciceronem apud Caesarem in invidiam adducere cupiebant.)

minuendo composuit. Scribit enim Attico XII. 14: *Quod me ab hoc maerore recreari vis, facis, ut omnia: sed me mihi non defuisse, tu testis es. Nihil enim de maerore minuendo scriptum ab ullo est, quod ego non domi tuae perlegerim. Sed omnem consolationem vincit dolor. Quin etiam feci, quod profecto ante me nemo, ut ipse me per litteras consolaretur.* 7) *Quem librum ad te mittam, si descripserint librarii. Affirmo tibi nullam esse consolationem talem.*

Necesse est autem, ut Consolatio perexiguo sit temporis spatio absoluta. Nam eodem mense Martio ut jam confectam eam Cicero significat 8) Epp. ad Att.

7) Male haec verba Wielandus vertit Vol. V. p. 340: „Gleichwohl habe ich etwas gethan, was gewiss kein Anderer vor mir und habe sogar Trostbriefe an mich selbst geschrieben.“ In errorem ille inductus est satis ridiculum, quo Ciceronem sibi ipsum consolatorias epistolas scripsisse commentus est, falso accepto litterarum vocabulo, quod non nisi epistolam significare posse putaret. Sed notio hujus vocis latius patet. Nam omnia, quae scripta exstant, litterarum nomine contineri possunt, velut de Divin. II. 1, 5. Graecorum de philosophia litterae commemorantur, et de Nat. Deor. I, 4. legimus: *ipsius reipublicae causa philosophiam nostris hominibus explicandam putavi, magni existimans interesse ad laudem civitatis, res tam graves — Latinis etiam litteris contineri; nec non Bruto 7, 27: tamen ante Periclem — et Thucydidem — littera nulla est, quae quidem ornatum aliquem habeat.* Caeterum eodem litterarum nomine Cicero de Consolatione quoque Epp. ad Att. XII. 28. utitur: *Quod me ipse per litteras consolatus sum, non poenitet me quantum profecerim;* quae verba Wielandus recte vertit: „Dass ich bei meinen Büchern und Ausarbeitungen Trost gesucht habe, gereuet mich nicht.“ Conf. Tusc. II. 2, 5.

8) Goerenzius quidem putat Ciceronem dudum sibi collegisse materiam librorum edendorum (Introd. in lib. de Fin. p. XII.), sed contra eum bene monuit Car. Beferus ad Cic. de Off. III. 2, 4: *Perridiculi videntur, qui non ve-*

XII. 20. In quo libro componendo quamquam id maxime secutus esse Cicero videri potest, ut se ipse consolaretur, id quod saepius ut finem ejus indicat; tamen neseio an aliud quoque accesserit consilium. Quod enim fuisse quosdam supra ostendimus, qui Ciceronem pronunciarent filiam lugentem ratione sese genere minus digna viro gravi, quippe cujus esset, ab omni perturbatione animum liberum servare; id eo nos ducit, ut Ciceronem hunc librum tanquam animi firmitatis et constantiae testem edidisse suspicemur. Cui conjecturae non refragatur Lactantii testimonium, qui Instit. I. 15, 21. se ait nihil animi aegri in Consolatione invenisse, cujus loco quodam allato, *fortasse*, inquit, *dicat aliquis prae nimio luctu delirasse Ciceronem. Atqui omnis illa ratio et doctrina et exemplis et ipso loquendi genere perfecta non aegri, sed constantis animi ac judicii fuit, et haec ipsa sententia nullum praefert indicium doloris. Neque enim puto, illum tam varie, tam copiose, tam ornate scribere potuisse, nisi luctum ejus et ratio ipsa et consolatio amicorum et longitudo temporis mitigasset.* Immo Cicero ipse Epp. Att. XII. 40. se genere scribendi usum esse testatur, quod nemo objecto animo facere posset. Haec verba simul ostendunt, qua in re quaerenda sit Ciceronis constantia, quam gloriatur a se in Consolatione servatam esse. Eam enim non res, quae tractatae in ea scriptione sunt, sed scribendi genus et elegans et

recundantur sui ingenioli difficulter et aegre parturientis sterilitate metiri studia hominis facile laborantis, qui ipse de philosophicis suis haec scripsit ad Atticum XII. 52: ἐπὶ ὄργαφα sunt: minore labore fiunt; verba tantum affero, quibus abundo i. e. Gronovio interprete: tantum verito de Graecis et propemodum describo. Ideo magnae meditationis non sunt.

copiosum retulerint. Nihilominus Ciceroni jactare licebat, *naturae se vim attulisse, ut magnitudini medicinae doloris magnitudo concederet*, quae verba extant Tusc. IV. 29, 63. Quando editus hic liber sit, certo definiri nequit, quum luculenta nobis desint hujus rei testimonia. Statuendus tamen est ante Tusculanas, quae exeunte anno 708 inchoatae sunt et sequente anno ante Caesaris necem prodierunt, divulgatus esse, quum in illo libro ut jam satis notus respiciatur. Quomodo exceptus sit, pariter incertum est atque tempus editionis, nec scimus magnumne tulerit an exiguum plausum. Unum enim de hac re iudicium non certam quandam nobis dat notitiam, extans illud de Divin. II. 1. ubi haec legimus: *Quid ego de Consolatione dicam? quae mihi quidem ipsi sane aliquantum medetur: caeteris item multum illam profuturam puto.* Quibus verbis nemo non videt spem potius successus, quam successum ipsum significari. Quod igitur Baehrius in libro supra laudato hoc quoque opus magna cum approbatione acceptum esse scribit, id unde habeat vir diligentissimus ignoro.

De fontibus Consolationis.

Fragmentorum, quae Consolationis servata nobis sunt, in editionibus Ernestiana et Schuetziana primum locum obtinet, quod est ex Plinii Praef. repetitum, quo Cicero in Consolatione Crantorem secutus esse dicitur. Hic Crantor Solensis Platonis erat philosophiae deditus, qui praeter alios libros *Consolationem* quoque sive *de luctu* (*περὶ πένθους*) scripsit, compositam illam ad Hippoclem de liberorum morte consolandum. Commemoratur hic liber a Cicerone Tusc. I. 48, 115. III. 6, 12. V. 37, 107. et Diogenes Laërtius IV. 5.

(ed. Tauchn. I. p. 187.) refert: *Θαυμάζεται δὲ αὐτοῦ μάλιστα βιβλίον τὸ περὶ πένθους.* Quod scriptum non magnum, verum aureolum, et ut Tuberoni Panaetius praecepisset, ⁹⁾ ad verbum ediscendum non superstes esse minus aegre ferremus, si et Ciceronis esset Consolatio servata, et Plutarchus in Consol. ad Apollonium accurate Crantoris sententias semper distinxisset ab aliorum philosophorum placitis. At quamquam ipse Cicero secutum se esse Crantoris librum confessus est, ejusque ex rivulis suum hortulum irrigasse non negavit, tamen minime inde efficitur, huncce Academicum solum fuisse, quem Cicero imitaretur. Quod qui statuerit, aequè falso conjiciat atque is, qui ex verbis Ciceronis de Officiis: *Panaetium sequor* colligat, Panaetii in iis libris vestigia eum anxie legisse, non adhibito suo ipsius iudicio. Neque recte is interpretetur verbum *sequi*, quod Kuehnero interprete in l. 1. p. 90. Cicero ea significatione usurpavit, ut esset *unum maxime auctorem ob oculos habere et ad eum suum imitandi studium componere, nec tamen eum convertere, sed ejus ex sententiis atque decretis tantum delibare, quantum ad rem ac consilium suum maxime facere videretur.* ¹⁰⁾ Etsi igitur multa ex Cran-

9) Teste Cicerone in Acad. IV. 44, 135.

10) Handius in libro: *Ersch und Grubers Encyclopädie* Vol. XVII. p. 228. dicit: „Das Verfahren, dessen er (Cicero) sich bei der Darstellung der verschiedenen Schulansichten bediente, war nicht wörtliche Übertragung (interpretatio), sondern eine mehr selbständige Verarbeitung des gegebenen Stoffes, mit eingefügtem eignen Urtheile. Er nannte dies sequi.“ Omnium maxime autem huc pertinent ipsius Ciceronis verba, qui de Off. I. c. 2. § 6, *sequimur*, inquit, *hoc quidem tempore, et hac in quaestione potissimum Stoicos, non ut interpretes; sed ut solemus, e fontibus eorum, iudicio, arbitrioque nostro, quantumcumque modo videbitur, hauriemus.*

toris Consolatione se in suum librum recepisse ipse testis est Cicero; tamen ut usus in vocabulo *sequi* conspicuus, ita ipsius Ciceronis testimonium alibi prolatum obstat, quo minus ab eo scriptores, qui de eodem argumento exposuissent, neglectos esse statuamus. Legimus enim Epp. ad Att. XII. 21., qua se defendere ab iis studet, qui ipsum luctui nimis deditum esse clamitaverint, haecce: *Neque tamen progredior longius, quam mihi doctissimi homines concedunt: quorum scripta omnia, quaecunque sunt in eam sententiam, non legi solum, quod ipsum erat fortis aegroti, accipere medicinam, sed in mea etiam scripta transtuli, quod afflicti et fracti animi non fuit.* Jam quod idem XIII. 32. quae data est Kal. Quint. a. 708, Atticum rogat, ut Dicaearchi *περὶ Ψυχῆς* utrosque sibi mittat, ex eo fortasse licet colligere, ejus quoque philosophi placita Ciceronem in Consolatione non praetermisisse. Quae suspicio eo videri possit probabilior esse, quod ipse Cicero, quam lubenter ejus viri rationem haberet, significavit delicias suas eum appellans Tusc. I. 31, 77. Neque tempus adversatur. Nam quamquam Consolationem mense Martio scriptam esse supra demonstravimus, tamen licebat Ciceroni fortasse ad mutanda quaedam vel ad amplificanda eodem jure Dicaearchi litteris uti, quo XII. 20. pariter illa post absolutam Consolationem ad Atticum data scripsit: *Felim me facias certiore proximis litteris, Cn. Caepio, Serviliae Claudii pater, vivone patre suo naufragio perierit, an mortuo. Pertinent adeum librum, quem de luctu minuendo scripsimus.* Usus autem illo Dicaearchi libro sit, ejus sententias de animo propositas non ut probaret, sed ut refelleret. ¹²⁾

¹²⁾ De Dicaearcho conf. Tusc. I. 10, 21. 11, 24. 18, 41. 22, 51. 31, 77. IV. 34, 71.

Neque argumentum Dicaearchi libelli alienum ab eo fuit consilio, quod in Cons. Cicero sequebatur, id quod infra ostendendi locus erit. Praeterea constat Ciceronem ad stabiliendas suas sententias aliorum opiniones data occasione lubentissime perstrinxisse. Tamen haec suspicio ut prorsus abhorrere a verisimilitudine non videatur, tamen non multum ei ipsi tribuerimus, quum non minore probabilitate Godofr. Schuetzius conjecerit, Dicaearchi libros Tusculanis Ciceronem adhibuisse. Contra non dubitamus, quin Clitomachum Cicero respexerit. De quo Clitomacho haec extant Tusc. III. 22, 54: *Legimus librum Clitomachi, quem ille eversa Karthagine misit consolandi caussa ad captivos cives suos: in eo est disputatio scripta Carneadis, quam se ait in commentarium retulisse. Quum ita positum esset, videri fore in aegritudine sapientem patria captam quae Carneades contra dixerit, scripta sunt.* Erat autem Clitomachus Carneadis auditor et successor in Academia. ¹³⁾ Neque veremur, ne nimiae in coniectando audaciae accusemur, Theophrasti quoque librum, qui *Καλλισθένης ἢ περὶ πένθους* inscribitur, contententes Ciceronem consuluisse. Hunc autem philosophum refutandi materiem dedisse, ex iis efficitur, quae Cicero de eo Tusc. III. 10, 21. refert: *Cadit igitur in eundem et misereri et invidere: nam qui dolet rebus alicujus adversis, idem alicujus etiam secundis dolet; ut Theophrastus interitum deplorans Callisthenis, sodalis sui, rebus Alexandri prosperis angitur: itaque dicit Callisthenem incidisse in hominem summa potentia summaque fortuna, sed ignarum,*

¹³⁾ Conf. de Clitomacho Diog. Laërt. IV, 10. (ed. Tauchn. I. p. 206.) et Schuetzius in Lex. Ciceron. Tom. I. p. 138, qui neglexit locum Tusc. V. 87, 107.

quemadmodum rebus secundis uti conveniret. 14) Haec nostra suspicio ut per se non videtur improbanda esse, ita firmatur eo, quod a Plutarcho quoque in Cons. ad Apol. p. 104. D. statim post Crantorem Theophrastus commemoratur. Ad hos nescio an Alcidamas accesserit, qui teste Cicerone Tusc. I. 48, 116. *rhetor antiquus in primis nobilis scripsit laudationem mortis, quae constabat ex enumeratione humanorum malorum. Cui rationes eae, quae exquisitius a philosophis colliguntur, defuerunt, ubertas orationis non defuit.* 15) Ubi autem ejus respiciendi opportunitas fuerit, ex eo apparebit quaestionis nostrae loco, qui est de argumento Consolationis.

Eandem ob causam Hegesiam quoque Cyrenaicum puto a Cicerone non missum esse, quod ut statuum locus facit Tusc. I. 34, 83. quo haec legimus: *A malis igitur mors abducit, non a bonis, verum si quaerimus. Et quidem hoc a Cyrenaico Hegesia sic copiose disputatur, ut is a rege Ptolemaeo prohibitus esse dicatur illa in scholis dicere: quod multi his auditis mortem sibi ipsi consciverint.* — *Ejus autem, quem dixi, Hegesiae liber est Ἀποκαρτερῶν, in quo a vita quidam per inediam discedens revocatur ab amicis: quibus respondens vitae humanae enumerat incommoda.* 16) Confessus autem Cicero est locis post allegandis, se vitam humanam in Consolatione deplorassee. Neque dubito inter eos, quibus in libro suo componendo Cicero non minimum tribuerit, Aeschinem quoque referre, qui a

14) Conf. de eo praeterea Tusc. V. 9, 24 et 25. 30, 85. et de Fin. V. 5, 12. cum Goerenzii nota.

15) De eo, quae scitu digna sint, collegit Davisius in nota Tusc. h. l. subjecta.

16) Conf. Val. Maxim. VII. 9, 3. Dictus autem est auctore Diogene Laërtio *πεισιδάνατος*.

quibusdam habetur dialogi auctor de morte scripti. Quem dialogum quamquam Cicero nunquam commemoravit, aliquot tamen Tusculanarum loci redolent, quos nunc solummodo indicasse sufficiat. Conf. Aesch. c. 4. cum Tusc. I. 37, 90. ubi quum a Dracone et Clisthene ab Aeschine laudatis et a Camillo, cujus Cicero mentionem facit, discesseris, utriusque eandem prorsus sententiam facile cognosces. Conf. praeterea Aesch. c. 7 et 14. cum Tusc. I. 31, 76 et 47, 112; Aesch. c. 10. et Tusc. I. 47, 113 et 114; Aesch. c. 14 et 16, et Tusc. I. 11 et 34, 82 et 83. 37, 90; Aesch. c. 17. et Tusc. I. 28.

Accurata lectione similitudinem quandam inter Aeschinis et Plutarchi, seu mavis Crantoris, librum intercedere apparet; id quod non mirandum est, quum et Aeschines vel qui alius est dialogi scriptor, et Crantor suas sententias ad Socratem referret.

At ne Latini quidem defuerunt, qui luctu se superiores esse litteris demonstrassent. Quorum in numero fuit Q. Fabius Maximus, qui mortui filii laudationem scripsit ad leniendum luctum animumque confirmandum omnibus philosophorum consolationibus efficaciorum a Cicerone judicatam. Conf. Wytttenb. a Plut. Conf. P. II. T. 1. p. 700. ed. Oxon. Ejus autem laudationem ut non neglectam in Consolatione esse suspicer, locus me movet Cic. in Cat. Maj. 4, 12. quo, *nulla*, inquit, *in eo viro (Q. Fabio) praeclara vidi, sed nihil est admirabilius, quam quomodo ille filii mortem tulit, clari viri et consularis. Est in manibus laudatio, quam quum legimus, quem philosophum non contemnimus?* Hic dialogus si anno 708 conscriptus est, cujus temporis indicia 17) quaedam extant; non

17) Conf. Handius in libro supra laudato p. 236.

temere hariolari videtur, qui ejus usum quendam in Consolatione fuisse arbitretur, praesertim quum idem Q. Fabius Tusc. III. 28, 70. praedicetur ejusque se in Consolatione rationem habuisse Cicero testetur.

Hi fere viri fuerint, quorum scripta in eodem atque Ciceronis Consolatio argumento versarentur et quorum rationes in primis Ciceronis interesset cognoscere, quippe qui omnia legit et in suum librum transtulit, quae essent de luctu scripta. Sed alii quoque, velut poëtae, quorum versus notum est Ciceronem Philonis exemplo saepissime disputationibus loco suo adjunxisse, ne quo ornamento in hoc quoque genere careret Latina oratio, ¹⁸⁾ aut laudati fuerint aut vituperati. Quorum aliquot locos quum ex Tusculanis norimus pariter illos in Plutarchi Consolatione allatos, non dubitamus, quin eos Cicero et Plutarchus Crantor debuerint.

At alii praeterea, qui ut non singulos de hac re libellos ediderint, tamen passim de ea suas sententias aperuerunt, non videntur non consulti a Cicerone esse, velut Socrates, cujus saepissime est in Tusc. mentio injecta, ¹⁹⁾ et Plato, quocum errare Cicero mavult quam cum aliis recta sentire.

De argumento Consolationis.

Qui morte hominis cujusdam sibi cari in gravem dolorem conjectus rationes circumspicit, quibus se consolari queat; is ante omnia in ipsius mortis naturam ut-

18) Tusc. II. 11, 26.

19) Conf. I. §§ 71. 97. 99. 100. 102. III. 10. 31. 36. 56. 77. IV. 63. 80. V. 10. 26. 30. 34. 47. 91. 97. 108. 119.

pote causae doloris inquirere debet. Ut enim medici caussa morbi inventa curationem inventam putant, ita is quoque, qui luctu laborans ex eo se malo expediri vult, necesse est ejus ut originem satis cognitam habeat. Haec ratio ut omnem debet consolationem praecedere, ita inita est a Cicerone. ²⁰⁾

De morte autem sententiae omnes ad haec fere genera possunt revocari. Fuerunt enim, qui mortem totius esse hominis interitum censerent, fuerunt, qui morte animum a corpore nonnisi discedere contenderent, ille ut permaneret tamen. ²¹⁾ Contra Stoici quidam ²²⁾ usuram homini largientes tanquam cornicibus diu mansuros animos dicebant, semper, negabant. Qui animos mortales esse credebant, Epicurum maxime et quos secutus ille est, Democritum et Leucippum, auctores habebant; qui animos immortales esse statuebant, hi inprimis cum Platone faciebant. Quam igitur harum sententiarum probaret, significare certe Cicero debebat.

Jam is, qui non prorsus ignarus est philosophiae Ciceronianae, vel non lecta consolatione facile concedet, Platonis eum in hac quoque re vestigiis institisse; id quod declarant verba Consolationis Tusc. I. 27, 66. allata: *Animorum nulla in terris origo inveniri potest:*

20) Tusc. II. 1, 2. qui, non modo quia necesse est mori, verum etiam, quia nihil habet mors, quod sit horrendum, mortem non timet, magnum is sibi praesidium ad beatam vitam comparat.

21) Tusc. I. 9, 18. 29, 71. et Plut. p. 121. καὶ ἐκ τούτων τῶν λόγων τοιοῦτό τι λογίζομαι συμβαίνειν, ὅτι ὁ θάνατος τυγχάνει ὧν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, οὐδὲν ἄλλο ἢ δυοῖν πραγμάτων διάλυσις, τῆς Ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος, ἀπ' ἀλλήλων.

22) Alias aliorum Stoicorum sententias Davisius refert nota loco Tusc. I. 31. 77. subjecta.

nihil enim est in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum atque fictum esse videatur; nihil ne aut humidum quidem aut stabile aut igneum. His enim in naturis nihil inest, quod vim memoriae, mentis, cogitationis habeat, quod et praeterita teneat, et futura provideat, et complecti possit praesentia: quae sola divina sunt; nec invenietur unquam, unde ad hominem venire possint, nisi a deo. Singularis est igitur quaedam natura atque vis animi, sejuncta ab his usitatis notisque naturis. Ita quidquid est illud, quod sentit, quod sapit, quod vult, quod riget, caeleste et divinum est: ob eamque rem aeternum sit necesse est. Nec vero deus ipse, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quaedam et libera, segregata ab omni congregatione mortali, omnia sentiens et movens ipsaque praedita motu sempiterno. — At non sufficebat ad se consolandum Ciceroni persuasio, morte filiam non esse extinctam, sed multum etiam ejus scire intererat, qualem ea post mortem vitam degeret. Certum autem habebat, scelestos homines post mortem poenas dare vitae male actae, contra egregios, quum mortui essent, egregie factorum praeclearis praemiis frui.²³⁾ Cujus ille opinionis eo progressus est, ut homines de genere suo optime meritos in ipsorum numero deorum poneret, neque hoc honore Tulliam suam indignam judicaret. Hoc Lactantius testatur, qui Inst. I. 15, 16 sqq. *M. Tullius*,

23) Haud dissimili ratione Plutarchus Appollonium consolatus est p. 120. B. *Εἰ δ' ὁ πᾶν παλαιῶν τε ποιητῶν καὶ φιλοσόφων λόγος ἐστὶν ἀληθὴς, ὥσπερ εἰκὸς ἔχειν οὕτω, καὶ τοῖς εὐσεβέσι τῶν μεταλλαξάντων ἔστι τις τιμὴ καὶ προεδρία, καθάπερ λέγεται, καὶ χάρις τις ἀποτεταγμένος, ἐν ᾧ διατρέβουσαν αἰ τούτων ψυχὰς, καλὰς ἐλπίδας ἔχειν σε δεῖ περὶ τοῦ μακαριτοῦ υἱοῦ σου, ὅτι τούτους συγκρατηθήσῃς συνίσται.*

inquit, qui non tantum perfectus orator, sed etiam philosophus fuit, siquidem solus extitit Platonis imitator, in eo libro, quo se ipsum de morte filiae consolatus est, non dubitavit dicere, deos, qui publice colerentur, homines fuisse. Quod ipsum testimonium eo debet gravissimum judicari, quod et augurale habuit sacerdotium, et eosdem se colere venerarique testatur. Itaque intra paucos versiculos duas res nobis dedit. Nam dum imaginem filiae eodem se modo consecraturum esse profiteretur, quo illi a veteribus sunt consecrati, et illos mortuos esse docuit, et originem vanae superstitionis ostendit. Quum vero, inquit, et mares et feminas complures ex hominibus in deorum numero esse videamus, et eorum in urbibus atque agris augustissima templa veneremur: assentiamur eorum sapientiae, quorum ingenii et inventis omnem vitam legibus et institutis excultam constitutamque habemus. Quod si ullum unquam animal consecrandum fuit, illud profecto fuit. Si Cadmi aut Amphionis progenies, aut Tyndari, in caelum tollenda fama fuit, huic idem honos certe dicendus est. Quod quidem faciam teque omnium optimum doctissimamque approbantibus diis immortalibus ipsis, in eorum coetu locatam, ad opinionem omnium mortalium consecrabo. Locis simili sententia conspicuis, quorum Lactantius laudavit de Nat. Deor. II. 24. III. 19. de Legg. II. 8. Tusc. I. 12. adjici possunt ex epistolis ad Atticum datis XII. 18. 19. 20. 22. 23. 27. 29. 30. 31. 33. 36. 38. 41. 43. 49. XIII. 1. 2. 3. 33. et aliae, quibus fano se Tulliam celebrare velle significat amicumque rogat, ut ipsum in exsequendo hocce consilio adjuvet.²⁴⁾

24) Justo severius de hac re judicasse videtur Wielandus Vers. Epp. Cic. Vol. V. p. 419.

Immo XII. 37. haec legimus: *Quod me a maestitia avocas, multum levaris, si solum fano dederis. Multa mihi eis ἀποδέωσιν in mentem veniunt.*

Felicitas autem, quam morte Tulliam adeptam esse Cicero credebat, eo major appareret necesse erat, quum comparata esset hominum tritissimae sorti, qui humanis se vitiis contaminavissent et se totos libidinibus dedissent. ²⁵⁾ Huc referendum fragmentum videtur a Lactantio III. 19. servatum: *Nec enim omnibus iidem illi sapientes arbitrati sunt eundem cursum in caelum patere. Nam vitiis et sceleribus contaminatos deprimi in tenebras atque in coeno jacere docuerunt: castos autem, puros, integros, incorruptos, bonis etiam studiis atque artibus expolitos, levi quodam ac facili lapsu ad deos, id est, ad naturam sui similem pervolare.* ²⁶⁾ Quae verba qui cum iis, quae in adnotatione ex Tusc. adjecimus, contulerit, non ignorabit, qui sapientes homines sint intelligendi duas esse vias statuentes animorum e corpore excedentium.

Jam vero quamquam Cicero divinum suum Platonem sequens animorum de immortalitate persuasum sibi habebat, id quod magna pars Tusc. libri I. osten-

²⁵⁾ Tusc. I. 80, 72.

²⁶⁾ Similia dicit Plut. p. 120. Tusc. I. 80, 72: *Ita enim censebat (Socrates), itaque disseruit, duas esse vias duplicesque cursus animorum e corpore excedentium. Nam qui se humanis vitiis contaminavissent et se totos libidinibus dedissent, quibus caecati vel domesticis vitiis atque flagitiis se inquinavissent, vel republica violanda fraudes incupiabiles concepissent, iis devium quoddam iter esse, seclusum a concilio deorum; qui autem se integros castosque servavissent, quibusque fuisset minima cum corporibus contagio, seseque ab his semper sevocassent, essentque in corporibus humanis vitam imitati deorum: his ad illos, a quibus essent profecti, reditum facilem patere.*

dit ²⁷⁾; tamen a verisimilitudine vix aberremus Cicero-nem conjicientes in Consolatione eorum quoque rationem habuisse, qui animum simul cum corpore interire Epicuro maxime et aliis, velut Dicaearcho, concederent. ²⁸⁾ Hos quoque non habere, cur hominem mortuum lugerent, significaverit certe, id quod probabile reddit Tusc. I. 11. ubi, *si cor*, inquit, *aut cerebrum est anlmus, certe, quoniam est corpus, interibit cum reliquo corpore: si anima est, fortasse dissipabitur: si ignis, extinguetur: si est Aristoxeni harmonia, dissolvetur.* — *His sententiis omnibus nihil post mortem pertinere ad quemquam potest: pariter enim cum vita sensus amittitur: non sentientis autem nihil est, ullam in partem quod intersit.* Et ibid. 34, 82. legimus: *Mali vero quid affert ista sententia? fac enim sic animum interire, ut corpus: num igitur aliquis dolor, aut omnino post mortem sensus in corpore est? nemo id quidem dicit: etsi Democritum insimulat Epicurus: Democritici negant. Ne in animo quidem igitur sensus remanet; ipse enim nusquam est. Ubi igitur malum est? quoniam nihil tertium est, an, quoniam ipse animi discessus a corpore non fit sine dolore? ut credam ita esse, quam est id exiguum! et falsum esse arbitror: et fit plerumque sine sensu: nonnunquam etiam cum voluptate: totumque hoc leve est, qualecumque est.* ²⁹⁾

²⁷⁾ Wielandus Vol. V. p. 345. „Cicero hing in seinem ganzen Leben nie so stark an dem Glauben, daß der menschliche Geist gottverwandter und also unvergänglichlicher Natur sei, als jetzt.

²⁸⁾ Hanc viam ingressus est certe Tusc. I. 34. sibi que eam maxime probari ibidem II. 3. indicat.

²⁹⁾ Conf. Plut. p. 109. et Tusc. I. 49.

Spectavit autem Cicero in Consolatione praeter alia id, vitae molestias ut quam posset vividissimis coloribus depingeret mortisque sic timorem depelleret; id quod Augustinus testatur, qui de Civit. Dei XIX. 4. *quis enim, inquit, sufficit quantovis eloquentiae flumine vitae hujus miserias explicare? Quam lamentatus est Cicero in Consolatione de morte filiae, sicut potuit.* Et Tusc. I. 31, 76. haec invenimus: *Satis tu quidem in Consolatione es lamentatus: quam quum lego, nihil malo, quam has res relinquere: his vero modo auditis multo magis; et ibid. I. 34, 38. in haec incidimus: Quid ego nunc lugeam vitam hominum? vere et jure possum. Sed quid necesse est, quum id agam, ne post mortem miseros nos putemus fore, etiam vitam efficere deplorando miseriores? Fecimus hoc in eo libro, in quo nosmet ipsos, quantum potuimus, consolati sumus.*

Quod autem fieri nonnunquam videmus, ut qui liberari se a morbo quodam vult, is in contrariam incidat aegritudinem, id nescio an Ciceroni quoque acciderit. Qui mortem in malis non habendam vitamque ea longe inferiorem esse effecturus in justo majorem videtur vitae contemptum abiisse; ita ut vitam non amplius statueret bonum esse a Deo homini concessum, sed flagitiorum suorum ut poenas darent homines vivere existimaret. Cujus animi ut epistola ad Lucejum data, ³⁰⁾ ita fragmentum Consolationis a Lactantio allatum testes sunt gravissimi. Lactantius enim sic scribit Inst. III. 18, 18: *Quid Ciceroni faciemus? qui quum in principio Consolationis suae dixisset, luendorum scelerum causa nasci homines; ³¹⁾ itera-*

30) Conf. Epp. ad Div. V. 15.

31) ex verbis: *luendorum scelerum causa nasci homines*

vit id ipsum postea, quasi objurgans eum, qui vitam poenam non esse putet. Recte ergo profatus est, errore ac miserabili veritatis ignoratione se teneri. Haec excepisse videntur, quae apud Lactant. III. 19, 14. ut Consolationis verba legimus: *Non nasci longe optimum, nec in hos scopulos incidere vitae: proximum autem, si natus sis, quam primum mori et tanquam ex incendio effugere violentiam fortunae.* Quibus idem haec addit dicens: *Quae sententia ut majoris sit auctoritatis, Sileno attribuitur, qui eam Midae regi, a quo captus erat, dixisse fertur.* Hanc de Sileno fabulam in Ciceronis Consolatione locum habuisse, non probabile solum est, ut Orellius est cum Wolfio (*Vorles. über die Tusc.* p. 368.) suspicatus, sed certissimum. Idem enim et Cicero in Tusc. refert, et Plutarchus narrat in Consolatione. Quorum primo loco, qui extat I. 48, 114. haec videmus scripta: *Affertur etiam de Sileno fabella quaedam: qui quum a Mida captus esset, hoc ei muneris pro sua missione dedisse scribitur: docuisse regem, non nasci homini longe optimum esse; proximum autem, quam primum mori.* Altero, qui est Plut. Cons. p. 115, haec afferuntur: *Πολλοῖς καὶ σοφοῖς ἀνδράσιν, ὡς φησὶν Κράντωρ, οὐ νῦν, ἀλλὰ πάλαι κέκλαυσται τὰν θρώπινα, τιμωρίαν ἡγουμένοις εἶναι τὸν βίον, καὶ ἀρχὴν τὸ γενέσθαι ἀνθρώπων συμφορὰν τὴν μεγίστην. Τοῦτο δὲ φησὶν Ἀριστοτέλης καὶ τὸν Σειληνὸν συλληφθέντα τῷ Μίδῳ ἀποφίνασθαι.* Interjectis paucis verbis haec reperimus: *ὡς ἄρα μὴ*

editores Cic. Opp. ut mihi quidem videtur, justo confidentius hoc fecerunt fragmentum Consolationis: *Ideirco nati sumus, ut scelerum poenas luemus.* Respondent ea Crantoris sententiae, quae a Plut. p. 115. B. tradita statim a nobis proponetur.

γίνεσθαι μὲν ἄριστον πάντων, τὸ δὲ τεθνάναι τοῦ ζῆν ἔστι κρεῖττον. His praemissis Midas quae-
sivisse ex Sileno fertur, quid omnium homini ma-
xime optandum esset, hic autem respondisse: ἀνθρώ-
ποις πάντων οὐκ ἔστι γίνεσθαι τὸ πάντων ἄρι-
στον, οὐδὲ μετασχεῖν τῆς τοῦ βελτίστου φύσεως·
ἄριστον γὰρ πᾶσι καὶ πάσαις τὸ μὴ γενέσθαι· τὸ
μέντοι μετὰ τοῦτο καὶ τὸ πρῶτον τῶν ἄλλων
ἀνυστόν, δεύτερον δὲ, τὸ γενομένου ἀποθανεῖν
ὡς τάχιστα. 32)

At non hominibus solum sapientibus, sed diis etiam
immortalibus mortem summum esse hominis bonum vi-
deri, ut ostenderet Cicero, haud dubie Cleobin, Bi-
tonem et Trophonium in medium prodire jussit. Hoc
inde admodum probabile fit, quod et Tusc. I. 47, 113
et 114. et Plut. Cons. p. 108. sequens, ut videtur,
Crantorem, et Aeschines cap. 10. haec eadem exempla
allegarunt ita, ut Ciceronem eorum verba nonnisi libe-
rius vertisse appareat.

Qui nihilo minus mortem timerent, eos spectare
fragmentum arbitror a Lactantio nobiscum communi-
catum, quod extat Inst. III. 14, 20: *Sed nescio qui
nos teneat error aut miserabilis ignorantio veri.* In hac
parte Ciceroniani libri suspicio verba fuisse, quae ut
ex incerto quodam Ciceronis opere desumpta in editio-
nibus leguntur: *Gladiatores invisos habemus, si omni
modo vitam impetrare cupiunt: favemus, si contem-
ptum ejus prae se ferunt.* Quod fragmentum ut in

32) Similiter in libris suis Hegesias et Alcidas ver-
sati sint, quos supra ostendimus in vitae malis enumeran-
dis immoratos esse. Neque alienum ab hac sententia est,
quod apud Senecam in Cons. ad Marc. XXII. legimus, ubi,
*si felicissimum est, inquit, non nasci: proximum puta, bre-
vitate vitae defunctos cito in integrum restitui.*

Consolatione locum suum habuisse statuam, facit quod
Tusc. II. 17, 41 et 42. gladiatorum pariter mentio
est injecta, ut virtutem consuetudine et exercitatione
comparari cognoscatur.

Haec autem ratio, qua vita in malis, in bonis mors
ponitur, egregie convenit animo, quo Consolatio est
composita, quam Cicero Tusc. III. 29, 63. in medio
se maerore et dolore litteris mandasse testatur, et ibid.
31, 76. in tumore fuisse animum significat, quum
Consolationem scriberet. Neque ab hac mente episto-
lae abhorrent datae et ad Atticum XII, 28, et ad Luc-
cejum Div. V. 15.

Jam enumerantem vitae calamitates sunt fortasse,
qui in primis in tristi, qui tum erat, reipublicae statu
deplorando diutius versatum esse Ciceronem suspicen-
tur. Cui conjecturae fidem facere credant verba Ci-
ceronis Epp. ad Div. V. 15. et ad Att. XIII. 28. At
hos tantum abest ut probabiliter conjicere arbitrer, ut
a veritate longissime aberrare contendam. Distinguen-
dum enim est inter epistolas, quas ut ad familiares da-
tas et intimi pectoris testes fortasse ne voluit quidem
edi, et inter librum, quem statim, postquam scriptus
est, divulgavit. Si igitur Cicero in Consolatione amis-
sam reipublicae libertatem luxisset, haud dubie Caesa-
ris atram bilem movisset. Videmus autem Ciceronem
alibi quoque, certe in libris philosophis, hunc locum
magna cum cautione tangentem, velut de Nat. Deor.
I. 4, quod opus videtur vivo Caesare foras datum esse,
scribit: *Nam quum otio langueremus, et is esset rei-
publicae status, ut eam unius consilio atque cura
gubernari necesse esset: — philosophiam nostris
hominibus explicandam putavi.* Eratque eo major Ci-
ceroni cautio adhibenda, quod fuerunt, qui eum non
tam propter filiae mortem, quam propter rempublicam

maestum esse calumniarentur. Conf. ad Div. IX. 11. mense Martio a 708. scripta, qua Dolabellae gratias agit, quod sua causa praelia sustineat, adversus eos scilicet, qui Ciceronem apud Caesarem in invidiam adducturi tristitia et maerore eum non filiae obitum, sed reipublicae conversionem afficere pronunciarent. Sed nostrae sententiae accedit aliud praeterea argumentum, quod quamquam solum non magni faciendum, tamen aliis conjunctum non negligendum est. Solebat enim Cicero libros, antequam ederet, Attico mittere, ut suum hic de iis iudicium prius amico aperiret. Conf. ad Att. XII. 49. XIII. 12. 13. 14. 16. 18. 19. 21. 24. 25. 36. 48. 51. Immo XIII. 22. *scripta nostra, inquit, nusquam malo esse, quam apud te: sed ea tum foras dari, quum utriusque nostrum videbitur.*

Jam vero quamquam non extat testimonium, Ciceronem idem, quod aliis libris, antequam divulgaret, Consolationi quoque fecisse; tamen hoc eo est veri similis, quod et Atticus suum amicum, ut a luctu abstineret, hortatus erat ³³⁾ et Cicero XII. 14. hunc se librum missurum ei esse promiserat. Si igitur in Consolatione fuissent, quae offendere Caesarem possent, neque Atticum puto haec probaturum, neque ipsum Ciceronem invito amico librum editurum fuisse. Sed ponamus, Ciceronem non consulto ante Attico Consolationem in lucem prodire passum esse; nonne expectandum est, in epistolis hoc tempore ab utroque amico ad se invicem datis mentionem certe aliquam hujus rei injectam fuisse? Nonne probabile admodum est, Ciceroni, si in Consolationem Caesari minus grata recepisset, ea ipsius adversarios vitio versuros et ad Caesarem fortasse etiam exaggerata delaturos fuisse, eamque rem

³³⁾ Epp. Att. XII. 20. 40.

in epistolis significatarum certe Ciceronem fuisse? At nihil ejusmodi indicatum reperimus. Sed ne sic quidem Ciceroni materiem defuisse vitae humanae deplorandae, nemo non profecto sibi persuaderi patietur, qui historiam Ciceronis vitae cognitam habeat.

At haec ratio, qua, quod lugemus, in malis non esse demonstratur, licet omnium sit ad consolandum gravissima, tamen neque unica est, ³⁴⁾ neque eandem in omnes homines vim exercet. Neque Cicero se abstinuit a plurium consolationis generum commemoratione, et ea se omnia in unam Consolationem coniecisse prae se fert Tusc. III. 31. Dicit autem ibid. 32. alteram in consolationibus medicinam esse, et de communi conditione vitae et proprie, si quid sit de ipsius, qui maereat, disputare. Solet enim hominem malis oppressum haud raro juvare recordatio aliorum, qui aut easdem sunt aut similes aerumnas perpessi, neque tamen animi firmitatem exuerunt. Quam consolationem: *non tibi hoc soli*, ab ipso Cicerone non praestantissimam quidem judicatam, sed eam tamen, quae saepe prodesset, in libro, de quo agimus, haud neglectam esse pro certo nobis licet affirmare. Ea autem refert, quomodo adhibeatur. *Ut enim tulerit quisque eorum, qui sapienter tulerunt, non quo quisque incommodo affectus sit, praedicandum est* auctore Cicerone Tusc. III. 33. 79. Qua in re Crantoris vestigia secutus sit, cujus quamquam non nominati verba tradita nobis a Plutarcho conjicio, qui Cons. ad Apol. p. 110. D. poetarum imprimis Euripidis sententias huc pertinentes profert in Cresphonte dicentis:

³⁴⁾ Unum consolationis officium esse, malum illud, quod maeremus, omnino non esse, Cleanthi placuit. Cf. Tusc. III. 31, 76.

Τεθνάσει παῖδες οὐκ ἔμοι μόνῃ βροτῶν,
οὐδ' ἀνδρὸς ἐστερήμεθ'. ἀλλὰ μυρίαί
τὸν αὐτὸν ἐξήντησαν, ὡς ἐγὼ, βίον. 35)

Hanc Cicero sententiam probans virorum clarissimorum suae civitatis gravissimos exitus in Consolatione collegit, id quod ipse testatur de Divin. II. 9. ubi, *est utilis*, inquit, *ad persuadendum ea, quae acciderint, ferri et posse et oportere, enumeratio eorum, qui tulerunt: etsi aegritudinis sedatio et hesterna disputatione explicata est, et in Consolationis libro.* Conf. Tusc. IV. 29, 63. Haec autem exempla non, ut animum malivolorum oblectent, afferri, id quod Carneades statuerat, sed ut ille, qui maeret, ferendum sibi id censeat, quod videat multos moderate et tranquille tulisse, Tusc. III. 25, 60. monet. 36) Neque vi sua caret cogitatio, luctum viris indignum esse. 37) Cui argumento nonnihil in Consolatione Cicero tribuit, quippe qui Tusc. III. 28, 70. haec

35) Hac consolatione usus Cicero alibi quoque est, ut Epp. ad Div. VI 1 et 2. *nihil esse praecipue dolendum in eo, quod accidat universis.* Conf. ejusdem libri epp. 3 et 4. atque Tusc. III. 25, 59. Neque dubito, quin versus supra ex Cresphonte repetiti a Cicerone quoque sint in suum librum translati. In Tusculanis certe haec Euripidis fabula respicitur I. 48, 119.

36) Conf. Tusc. III. 23. Seneca in Cons. ad Marc. c. XII: *Malivoli solatii genus est turba miserorum.*

37) Tusc. II. 18, 43: *Inter omnes igitur hoc constat, nec doctos homines solum, sed etiam indoctos, virorum esse fortium, et magnanimatorum, et patientium, et humana vincantium, tolerantius dolorem pati. Nec vero quisquam fuit, qui cum, qui ita pateretur, non laudandum putaret.* Omnino Cicero ad virtutem constantiae commendandam exemplis nihil putavit efficacius esse, ut Tusc. II. 22. fatetur.

praecipit: *Quid, qui non putant lugendum viris? qualis fuit Q. Maximus efferens filium consularem: qualis L. Paullus, duobus paucis diebus amissis filiis: qualis M. Cato, praetore designato mortuo filio: quales reliqui, quos in consolatione collegimus.* 38)

Haud exigua autem se praestitit diligentia in allegandis eorum exemplis, qui constanti animo mortem suorum tolerassent. Scribit enim ad Att. XII, 24: *Et ut ad meas ineptias redeam, velim me certiolem facias, P. Crassus, Venulejae filius, vivone P. Crasso consulari, patre suo, mortuus sit, ut ego meminisse videor, an post. Item quaero de Regillo, Lepidi filio, rectene meminerm, patre vivo mortuum.* Quam quaestionem ad Consolationem spectare discimus ex ejusdem libri ep. 20. in qua certiolem se fieri ab Attico proximis litteris vult, *Cn. Caepio, Serviliae Claudii pater, vivone patre suo naufragio perierit, an mortuo: item Rutilia vivone C. Cotta, filio suo, mortua sit, an mortuo.* Nam pertinent, inquit, *ad eum librum, quem de luctu minuendo scripsimus.* Eo referenda ea quoque sunt, quae ejusd. lib. ep. 22. extant: *De Rutilia, quoniam videris dubitare, scribes ad me, quum scies; sed quam primum; et num Clodia, D. Bruto consulari, filio suo, mortuo vixerit.* 39) Praeter hos, quos modo nominavimus, viros fortes alios quoque Cicero laudavit teste Hieronymo in Epitaph. Nepot. Vol. IV. p. 268 (ed. Paris.): *Quid memorem Romanos duces, quorum virtutibus quasi quibusdam stellis Latinae micant historiae? Pulvillus Capitolium dedicans, mortuum ut subito*

38) Eosdem viros Cicero commemorat in ep. ad Sulpicium scripta, quae est ad Div. IV. 6.

39) Eodem atque Cicero consilio Seneca quoque magnum collegit numerum hominum miserorum in Cons. ad Marc. c. XIII. sqq.

nunciabatur filium, se jussit absente sepeliri. L. Paulus septem diebus inter duorum exequias filiorum triumphans urbem ingressus est. Praetermitto Maximos, Catones, Gallos, Pisones, Brutos, Scaevolas, Metellos, Scauros, Marios, Crassos, Marcellos atque Aufidios, quorum non minor in luctu, quam in bellis virtus fuit, et quorum orbitales in Consolationis libro Tullius explicavit, ne videar potius aliena quam nostra quaesisse.

At non Romanorum solum, sed Graecorum etiam, qui forti animo filiorum mortem tulissent, exempla in Consolatione Ciceronem commendasse, facile nobis largietur, qui ejus morem non ignorat. Solet enim in iis afferendis eum fere ordinem tenere, ut primum locum Graecis, Romanis alterum concedat. Cf. Tusc. I. 15, 33. 16, 37. 24, 59. 30, 74. 35, 85. 42, 100. 46, 116 et 49. Quam Ciceronis consuetudinem non negligentes nulli nos dubitamus, quin Anaxagorae quoque animi constantiam pariter atque Demosthenis oratoris firmitatem laudibus evexerit. Hoc inde colligimus, quod et Tusc. III. 24, 58. et 26, 63. hosce viros Cicero imitandos proposuit, et Plutarchus seu Crantor p. 118. D. eosdem celebravit, additis Dione Syracusano et Antigono rege. Neque praetermissa a Cicerone esse exempla mulierum, quae mortuis liberis suis sortes se praebuissent, arbitramur memores loci illius, qui est Epp. ad Att. XII. 20. jam supra illa commemorata, qua de Rutilia amicum suum interrogat. 40)

In hac autem libri parte nescio an universas hominum de morte querelas refutandi locus fuerit. Quae

40) Similiter virorum exempla mulierum sequi videmus in Tusc. I. 42, 102. et II. 15, 36.

eo fere redeunt, ut vitam justo breviorē a deo hominibus concessam esse clamitent. Eas igitur ut inanes Ciceronem rejecisse, et Tusc. I. 39 et 40. probabile reddunt, et Plut. p. 113 et 117. Jam in Tusculanis vita dicitur, quum praeter spem finita sit, propterea non lugenda esse, quod ipsa natura eam dederit tanquam pecuniae usuram nulla praestituta die eamque, ubi placuerit, repossere possit, neque vita felix sit in ipsius diuturnitate ponenda, sed in animi robore ac magnitudine et in omni virtute. 41)

Hoc in loco, ut scilicet vel puerum matura morte defunctum non esse cur doleremus ostenderet, Troile exemplum propositum esse verisimile est legenti Plut. p. 113. C. et Tusc. I. 39, 93.

Neque exigua praeterea doloris sedationem persuasio affert, haud nostra nos esse culpa miseros. Quam medicinam a Crantore efficacem habitam teste Plutarcho p. 114. C. 42) neque Cicero praetermisit, qui Tusc. III. 16, 34. tertium ei in omni consolatione locum assignavit: *Nihil est enim, quod tam obtundat elevetque aegritudinem, quam perpetua in omni vita cogitatio, nihil esse, quod accidere non possit: quam meditatio conditionis humanae: quam vitae lex commendatioque parendi: quae non hoc affert, ut semper maereamus, sed ut numquam. Neque enim qui rerum naturam, qui vitae varietatem, qui imbecillitatem generis*

41) Plut. μέτρον γὰρ τοῦ βίου τὸ καλόν, οὐ τὸ τοῦ βίου μήκος. p. 116. Euripidis verba laudantur:

τὰ τῶν θεῶν ἔχοντες ἐπιμελούμεθα·
ὅταν δὲ χεῖρῶσ', αὐτ' ἀφαιροῦνται πάλιν.

42) Τὸ γὰρ μὴ δι' αὐτὸν κακῶς πράττειν ὁ μὲν Κράντωρ φησὶν οὐ μικρὸν εἶναι κούφισμα πρὸς τὰς τύχας.

humani cogitat, maeret, quum haec cogitat, sed tum vel maxime sapientiae fungitur munere. Utrumque enim consequitur, ut et considerandis rebus humanis proprio philosophiae fruatur officio, et adversis casibus triplici consolatione sanetur: primum, quod posse accidere diu cogitaverit, quae cogitatio una maxime molestias omnes extenuat et diluit: deinde, quod humana ferenda intelligit: postremo, quod videt malum nullum esse, nisi culpam; culpam autem nullam esse, quum id, quod ab homine non potuerit praestari, evenerit.

Finem vero Consolationi imposuisse ea exempla dixerim, quibus ab ipso deo mortem omnium bonorum summam iudicatam esse appareret. Eo autem spectant notae illae narrationes, quae de Cleobide atque Bitone, de Trophonio et de Agamede, et de Elysio circumferuntur, quas Cicero sub exitum libri I. Tusc., Plutarchus p. 108 et 109. Aeschines de Morte c. 10. ita repetunt, ut omnes ex uno eodemque fonte haurisse sua sponte pateat.

Jam comparatis paucis sane Consolationis fragmentis cum iis, quae in Tusculanis dicta sunt, haud exigua inter librum utrumque similitudo intercesserit. Nam nulla fere in Consolationis reliquiis sententia reperitur, cujus non similem quandam in Tusculanis deprehendamus. Unde probabile fit, Ciceronem Tusculanas scribentem Consolationem suam non cogitatione solum praesentem habuisse, sed ipsa ejus verba litteris mandata oculis lustrasse. Quumque valde probaret, quae in Consolatione dixisset, factum arbitror, ut sententias hoc in libro extantes non solum omnino commemoraret, sed integra etiam verba ejus afferret; id quod fecit Tusc. I. 27, 66. Haec autem ad sua scripta lectorem ab-

legandi ratio, qua ipsa verba anxie exhibentur, sententiarum nexui vel ne satis quidem accommodata ut antiquitati minus conveniens sit, id quod F. A. Wolfius pronuntiat,⁴³⁾ ita a solo repetenda amore sit, quo ad Consolationem suam Cicero confugerit.

Haec fere videbantur cum fide quadam de argumento Consolationis dici posse. At ea, quae a nobis proposita sunt, non totam effecisse Consolationem, sed in ea plura fuisse, quam quae nobis liceret proferre, nemini non certum erit, qui primum reputaverit, qua Cicero verborum et sententiarum copia fuerit, et qui ejus recordatus sit loci, quo ille omnia, quae ad luctum minuendum apta essent, se in Consolationem conjecisse prae se tulit. Sed quum, ne in mera somnia abiret disputatio nostra, intra fines, quos ipsi circumscripsimus, consistendum nobis esse censeremus, plura disserere non ausi sumus bene memores Hermanniani illius: *Nec temere hariolandum est in antiquitatis per-vestigatione, neque carere divinationis adjumento possumus. Quare curandum, ut ubi quid conjectando sumendum est, id aut consequatur probabili quodam modo ex iis quae certa sunt, aut caussam, unde explicari ea de quibus constat possunt, contineat ido-*

43) Libro laudato p. 352. „So citiren sonst die Schriftsteller der ältern Periode nicht; Cicero hätte die Stelle hier etwas mehr dem Zusammenhange und Ideengange anpassen sollen.“ Quibus a Wolfio prolatis haec addit Orellius: „Kommt diese wörtliche Citation mehr auf Rechnung der Eile, womit er diese Quaestiones schrieb, oder der Vorliebe für ein seinem Innersten als Vater und Schriftsteller so theures Werk wie die Consolatio?“ p. 368. haec legimus a Wolfio dicta: „Cicero muß dieselbe Fabel (scil. de Sileno) auch in seiner Consolatio behandelt haben, so wie gewiß manches in diesem ersten Buche Wiederholung aus jener ist.“

neam. Hoc qui negligunt, somnia fingunt, quorum neque utilitas ulla, et saepe non levis noxia est, si pro veris habita justam rerum cognitionem perturbant atque corrumpunt. (Conf. de Aeschyli Lycurgia p. 3.)

V I T A.

Natus sum Vratislaviae anno hujus saeculi VIII. patre Josepho et matre Susanna e gente Welziana. Duodecimo aetatis anno frequentare coepi Gymnasium, quod in hac urbe floret, Regium Catholicum, praecceptores nactus doctissimos et dilectissimos. Anno MDCCCXXVIII. cum testimonio primae notae dimissus in alma litterarum Universitate Vratislaviensi per quatuor annos philologiae operam dedi. Cujus me operae nunquam poenituit. Interfui enim lectionibus Virorum Clarissimorum, Francisci Passovii et Schneideri, a quibus facile impetravi, ut anno elapso specimenibus, quae solent, exhibitis inter sodales Seminarii Regii Philologici reciperer, et scholis V. V. C. C. Bachii accuratiore me Thucydidei sermonis cognitione imbuentis et Wissowae, Catulli carmina interpretantis. Neque neglexi studia historica, quae quomodo exercenda essent egregie docuerunt me Wachler et Sten-

zel, Viri Illustrissimi. In philosophicis disciplinis instituerunt me Thilo, Elvenich, Rohovsky, Steffens, Branifs, Viri Celeberrimi. Anno MDCCCXXXIII. numero adscriptus sodalium Seminarii Regii Paedagogici, discipulis superiorum et inferiorum ordinum Gymnasium Reg. Cathol. frequentantes quum Graecas, tum Latinas litteras doceo.

THESES CONTROVERSAE.

- I. Ea, quae recentior vocatur articuli significatio, non est ab Homericis carminibus abjudicanda.
 - II. Tusculanae a Cicerone perexiguo tempore scriptae sunt.
 - III. Quod Justus Lipsius ad Tacit. Annal. XIII. 17. de Dione Cassio protulit iudicium, non probandum est.
 - IV. Quibus argumentis Godofr. Hermannus (Opusc. Vol. III.) evincere conatus est Sophoclis Niobam drama satyricum fuisse, ea non sufficiunt.
 - V. In quaestione, quae est de natura deorum, Cicero et Stoicos, et Academicos secutus est.
-

